

habeat corporalem. In cuius rei testimonium sigillum meum, vna, cum sigillo prioris fratrum predicatorum lundis, duxi, presentibus apponendum. Datum lundis anno domini. M^o. CCC^o. decimo, in die beati marcelli pape et martiris.

På frânsidan. Super bonis in vragharp pro anniuersario domine cecilie kalffs per decanum tenendo. Sigillen borta. Brefvet söndrigt.

1650.

1310 d. 26 Jan.

Hjälsta.

Ärkebiskopen NILS KETTLILSSONS i Upsala, enligt förordnande, efter förrättad bouppteckning, gjorda testamentariska anordning om Ragnwald Ingessons qvarlätenskap till kyrkor, kloster och enskilda personer.

A 4.

Omnibus presentes litteras inspecturis NICOLAUS diuina Miseracione, archiepiscopus vpsalensis, Salutem in domino sempiternam. Licet incerta Mortis hora semper debeat in animo prudētis esse suspecta, Corporis tamen imminente langore, plus naturaliter ipsius formidatur euentus. Quapropter Rangwaldus ingæ son bone memorie, mente sanus, licet grauiter corpore languens, facta confessione, domino Olauo rectori ecclesie hildishøgh, dixit publice coram eo et aliis astantibus, quod elegit apud fratres predicatorum sictonie, cum matre sua sepulturam, Et quod fratribus ibidem legabat quantum pater suus eisdem legauerat, videlicet Quadraginta Marchas denariorum. Post hoc cum prolongaretur infirmitas ipsius septem diebus, jdem Rangwaldus in dominica proxima ante festum sancti barnabe apostoli, Excellentem dominam dominam Margaretam dei gracia sweorum Reginam, ac dominam haduj relictam domini Thyrgilli quondam marscalci, Nec non et Sigmundum keldorsson ac Ceciliam vxorem eius, ad se venire fecit, et hiis pluribusque aliis fidedignis presentibus, huiusmodi extremam ordinationem fecit, videlicet, quod electionem sepulture apud predictos fratres predicatorum sictonie, ratam habere voluit et legatum ipsis factum. Jtem ordinauit, quod Testamentum patris sui, et Matris, ac suum necnon et debita sua de bonis suis integre soluerentur, Et quia inter hec infirmitatis vehementia inualuit, Nobis primo et principaliter, et domino Fulconj ionsson, necnon et dilecto fratri nostro domino karulo, ac domino benediecto boson. Sigmundo keldorsson, et domino Olauo presbitero in hildishøgh premissam ordinationem suam commisit adimplendam. et ut pro salute anime sue de Testamento suo suppleremus, quod ipse minus plene per se potuit ordinare, Cum igitur idem .R. principaliter nostre fidei et voluntati commiserit suam extremam perficere voluntatem, Nos communicato eorum consilio, quos ad hoc nobiscum

deputauit, quorum potuimus habere presenciam, videlicet dicti fratris nostri domini karuli sigmundi keldorsson, et domini Olai de hildishøgh. dicti Rangwaldi extremam voluntatem prosequi volentes in hac parte. diligentem inquisitionem, et conscriptionem fieri fecimus bonorum mobilium et immobilium ipsius defuncti. Et vt fidei insinuacione intimatum est nobis, ipse defunctus Quatuordecim Marchas terre cum dimidia. preter terras in pignoras tempore obitus sui possedit, et bona sua mobilia estimata sunt pro Trescentis LXX^{ta} quinque Marchis denar. De premissis autem Quatuordecim marchis terre cum dimidia, eciam sine consensu heredum libere potuit disponere et legare decedens, vndecim. oras terre et duos solidos terre, vno denario minus. Jtem de .CCC. LXX^{ta} quinque marchis denar. dare potuit Triginta septem marchas cum dimidia. Deinde inquisiuimus que terre minute dicte vlgariter vmiordhir, salua vtilitate heredum competencius possent obligari. pro Testamento uel eciam distrahi si necesse esset, et nominate sunt nobis terre seu predia ab ipsis qui terrarum earundem noticiam habuerunt, que inferius post legata subscribuntur. Postmodum rerum suarum et bonorum ordinacionem per presens nuncupatiuum testamentum quantum secundum leges patrie dare et legare sibi licuit facimus in hunc modum. In primis disponimus et ordinamus, vt omnia ab ipso accepta et habita per quemcunque modum illicitum restitui et solui debeant de bonis suis vsque ad integram satisfaccionem illis a quibus ipsum ea apparuerit habuisse. Pro hiis soluendis et restituendis omnia bona ipsius obnoxia et obligata esse volentes. Jtem pro deferendo funere domini jngonis patris ipsius Rangwaldi de Norwegia, et funeralibus in sua sepultura ministrandis, sedecim marchas denar. fratribus sictonie deputamus, Pro quibus sedecim Marchis. et Quatraginta Marchis denar. eisdem ab ipso Rangwaldo legatis, obligamus Tres oras terre in villa Quernestum. parochia hildishøgh. et quinque solidos terre in villa skøghby parochia ska. Jtem ecclesie hildishøgh vnam oram terre in quernestum parochia ibidem. assignamus perpetuo possidendam. Jtem ecclesie vpsalensi duos solidos terre cum dimidio in alseki perpetuo possidendos Jtem domino Olauo rectori ecclesie hildishøgh sex Marchas denar. Jtem ecclesie et presbitero vbi dominus jngo nunc sepultus est in norwegia Octo marchas denar., cum dimidia. Jtem fratribus Minoribus vpsalie duas marchas denar. Domui dei ibidem, duas marchas denar. Monasterio in sko duas marchas denar. Fratribus Minoribus stocholmis duas marchas denar. Monasterio sancte Clare ibidem, duas marchas denar. Jtem domicelle helene sorori ipsius Rangwaldi Quatuor Marchas denar. Fratribus Minoribus enicopie, duas marchas denar. Jtem hospitali ibidem duas Marchas denar. Fratribus predicatoribus in westraaros, duas marchas denar. Fratribus Minoribus in arbugha duas Marchas denar. Fratribus predicatoribus

in strængenes. duas marchas denar. Jtem ecclesie et presbitero in spangum vnam marcham denar., Ecclesie et presbitero in gerfelli vnam marcham denar. Jtem ecclesie et presbitero in ness. iuxta almarnastek vnam marcham denar. Jtem ecclesie et presbitero in dalby vnam marcham denar. Jtem seruietibus suis et patris eius, videlicet domino karulo presbitero. Magno boson. haquino hak. boo, Petro estridheson. iohanni dynu. andree and. Michaeli, Oddoni, villico in thiulestum, et gerthrudi puelle, Qui fideliter et diu in obsequio ipsius domini jugonis et domine benedecte vxoris sue fuisse dicuntur, deputamus Triginta Marchas, denar. inter ipsos nostro arbitrio diuidendas, Ad soluendum autem premissa legata, vbi non est certa solucio prius assignata deputamus et assignamus vnam oram terre in villa scøgby parochia ska, Jtem in villa kumblum duos solidos terre vno denario minus et quatuor solidos terre cum dimidio in villa sundby, parochia akerby. Ita quod terra predicta ac etiam terra superius fratribus predicatoribus obligata ab heredibus ipsius Rangwaldi redimi valeat infra annum, a tempore confeccionis presentis computandum. Jtem de valore bonorum mobilium Triginta septem marchas denar. cum dimidia. similiter ad premissam solucionem perficiendam deputamus. In premissorum igitur omnium robur et euidenciam pleniorum sigillum nostrum, et sigilla domini karuli fratris nostri, Sigmundi keldorsson. et domini Olai presbiteri de hildishøgh presentibus sunt appensa. Actum apud ecclesiam hiælestum, anno domini M^o CCC^o, decimo, in Crastino conuersionis sancti Pauli apostoli.

Sigillen N:o 1, 2, 3 bortfallna, remsorna qvar; N:o 4 skadadt.

1651.

1310 d. 9 Febr.

Örebro.

Hertigarne ERIKS och WALDEMARS befallning till inbyggarna i Nerike, att genast efter häråf erhållen del, uppå Finvids af Thyeby tillsägelse, verkställa den anbefallda, men hittills försummade förflyttningen af byggnader från Ekeby gård till Risaberga kloster.

A. 3. n.

ERICUS et WALDEMARUS dei gracia duces sweuorum, Omnibus nærichiam inhabitantibus in domino gratiam dileccionem et salutem, Quia plerique penes uos super domibus de Curia Ekeby ad claustrvm Risæbergh deferen- dis residenciam fecerant minus iuste. mandato nostro deducto penitus in con- temptum, volumus modis omnibus et sub obtentu gracie nostre firmiter precipiendo demandamus, quatinus. omnes et singuli penes uos residentes super premissis. predictas domus ad claustrvm memoratum statim uisis pre- sentibus absque contradictione qualibet deferre studeant et procurent prout per finuidum de Thyeby fueritis requisiti. nullatenus omissuri prout gra-